

www.e-rara.ch

Caii Svetonii Tranquilli Opera Quæ Exstant

Suetonius Tranquillus, Gaius

Basileæ, M DC LXXV

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-25541>

[Vespasianus]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.


e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



REBELLIONE trium Principum
& cæde, incertum diu quasi vagum
imperium suscepit firmavitque tandem
gens Flavia: obscura illa quidem, ac sine
ullis majorum imaginibus: sed tamen

Reipublicæ nequaquam pœnitenda, constet licet
Domitianum cupiditatis ac sævitæ meritò poenas luisse.
Titus Flavius Petronius municeps Reatinus, bello civili
Pompejanarum partium centurio, incertum spontè an
evocatus, profugit ex Pharsalicâ acie, domumque se
contulit. Ubi deinde veniâ & missione impetratâ,
coactiones argentarias factitavit Hujus filius cognomine
Sabinus expert militiæ (etsi quidam eum primipilarem,

nonnulli cùm adhuc ordines duceret, sacramento solutum per caussam valetudinis tradunt) publicum quadragesimæ in Asia egit. Manebantque imagines à civitatibus ei positæ sub hoc titulo, * καλῶς πελονήσαντι. Postea fœnus apud Helvetios exercuit, ibique diem obiit, superstitibus uxore Vespasiâ Pollâ, & duobus ex ea liberis: quorum major Sabinus ad præfecturam Urbis, minor Vespasianus ad principatum usque processit. Polla Nursiæ honesto genere orta, partem habuit Vespasium Pollionem, ter tribunum militum, præfectumque castrorum; fratremq; Senatorem prætoriæ dignitatis. Locus etiam nunc ad sextum milliarium à Nursia Spoletum euntibus in monte summo appellatur Vespasiæ: ubi Vespasiorum complura monumenta exstant, magnum indicium splendoris familiæ & vetustatis. Non negaverim jactatum à quibusdam, Petronii patrem è regione Transpadana fuisse mancipem operarum, quæ ex Umbria in Sabinos ad

Benè vestigal agenti. Unam ex illis imaginibus Vespasiani Imp. patri Tito Flavio Sabino à civitatibus positam edidit Boissardus, *Antiquitat. libr. 3.* ex pretioso illo Fulv. Ursini M-S codice quem nuper in Vaticana bibliotheca vidimus. Quam bonum publicanum capiunt quæ præter hominem vides! Arcam scilicet pecuniis servandis, Schedasque reddendis rationibus: has habet præ manibus paratas veluti omni momento: quibus RATIONEM ULTIMAM nuper tormentis bellicis applicatam se mitiùs exhibiturum pollicetur. Quæ longè grandior & ad hominis mensuram statua facta est, hic in compendium reduximus.



culturam agrorum quotannis commeari solerent: subsedisse autem in oppido Reatino, uxore ibidem ducta. Ipse ne vestigium quidem de hoc, quamvis satis curiosè inquirerem, inveni.

2. Vespasianus natus est in Sabinis ultra Reate, vico modico, cui nomen est *Phalacrine*, XV. Kal. Decembr. vesperi, Q. Sulpicio Camerino, C. Poppæo Sabino C o s s. quinquennio ante quàm Augustus excederet: educatus sub paterna avia Tertulla, in prædiis Cosanis. Quare Princeps quoque & locum incunabulorum assiduè frequentavit, manente villâ, qualis fuerat olim: ne quid scilicet oculorum consuetudini deperiret. Et aviæ memoriâ tantoperè dilexit, ut solennibus ac festis diebus pocillo quoque ejus argenteo potare perseveraverit. Sumtâ togâ virili, latum clavum, quamquam fratre adepto, diu averfatus est: nec ut tandem appeteret, compelli nisi à matre potuit. Ea demum extudit, magis convicio quàm precibus vel auctoritate, dum eum identidem per contumeliam anteaambulonem fratris appellat. Tribunatum militum in Thracia meruit. Quæstor Cretam & Cyrenas provinciam fortè cepit: Ædilitatis, ac mox Præturæ candidatus, illam non sine repulsa, sextoque loco vix adeptus est. Ac primâ statim petitione, & in primis Prætor, infensus Senatui, Cajum ne quo non genere demereretur, ludos extraordinarios, pro victoria ejus Germanica depoposcit, poenæque conjuratorum addendum censuit, ut insepulti projicerentur. Egit & gratias ei apud amplissimum ordinem, quòd se honore coenæ dignatus esset.

3. Inter hæc * Flaviam Domitillam duxit uxorem, Statilii Capellæ equitis R. Sabratenfis ex Africa delegatam olim, Latinæque conditionis, sed mox ingenuam & civem Romanam recuperatorio judicio pronuntiatam: patre afferente Flavio Liberali Ferentini genito, nec quidquam ampliùs quàm Quæstorio scribâ. Ex hac liberos tulit, Titum & Domitianum & Domitillam. Uxori ac filiæ superstes fuit: atque utramque adhuc privatus amisit. Post uxoris excessum, Cænidem Antoniaæ libertam, & à manu, dilectam quondam sibi revocavit in contubernium: habuitque etiam Imperator penè justæ uxoris loco.

4. Claudio Principe, Narcissi gratiâ Legatus legionis in Germaniam missus est: inde in Britanniam translatus, tricies cum hoste conflixit. Duas validissimas gentes, superque XX. oppida, & insulam Vectem Britanniaæ proximam, in deditioem redegit: partim Auli Plautii consularis Legati, partim Claudii ipsius ductu. Quare

Flaviam Domitillam. Egregium ejus nummum à Tito Imp. restitutum possidemus absque effigie: Carpentum in ejus loco signatum est, indicandis honoribus, ipsi sicut Liviae & Agrippinae post mortem oblatis.



Æ



triumphalia

triumphalia ornamenta, & in spatio brevi duplex sacerdotium accepit. Præterea consulatum, quem gessit per duos novissimos anni menses: medium tempus ad proconsulatum usque, in otio secessuq; egit: Agrippinam timens potentem adhuc apud filium, & defuncti quoque Narcissi amicos perosam. Exin sortitus Africam, integerrimè, nec sine magna dignatione administravit: nisi quòd Adrumeti seditione quâdam, rapa in eum jacta sunt. Rediit certè nihilò opulentior, ut qui propè labefactatâ jam fide, omnia prædia fratri obligavit: necessarióq; ad mangonicos quæstus sustinendę dignitatis causâ descenderit, propter quod vulgò *Mulio* vocabatur. Convictus quoque dicitur ducenta H.S. expressisse juveni, cui latum clavum adversus patris voluntatem impetrarat, eóq; nomine graviter increpitus. Peregrinatione Achaicâ inter comites Neronis, cùm cantante eo aut discederet sæpius, aut præsens obdormisceret, gravissimam contraxit offensam: prohibitusque non contubernio modò, sed etiam publicâ salutatione, secessit in parvam ac deviam civitatem, quoad latenti, etiámque extrema metuenti, provincia cum exercitu oblata est. Percrebuerat Oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judæâ profecti rerum potirentur. Id de Imperatore Romano quantum postea eventu patuit prædictum. Judæi ad se trahentes, rebellarunt: cæsoque præposito, Legatum insuper Syriæ consularem suppetias ferentem, raptâ aquilâ fugaverunt. Ad hunc motum comprimendum cùm exercitu ampliore & non instrenuo duce, cui tamen tutò tanta res committeretur, opus

esset, ipse potissimum delectus est: & ut industriæ expertæ, nec metuendus ullo modo ob' humilitatem generis ac nominis. Additis igitur ad copias duabus legionibus, octo aliis, cohortibus decem, atque inter Legatos majore filio assumpto, ut primum provinciam attigit, proximas quoq; convertit in se: correctâ statim castrorum disciplinâ: uno quoque & altero prælio tam constanter inito, ut in oppugnatione castelli, lapidis iectum genu, scuto sagittas aliquot exceperit.

5. Post Neronem Galbâmq;, Othone atque Vitellio de principatu certantibus, in spem Imperii venit, jam pridem sibi per hæc ostenta conceptam. In suburbano Flaviorum quercus antiqua, quæ erat Marti sacrata, per tres Vespasiæ partus, singulos repente ramos à frutice dedit, haud dubia signa futuri cujusque fati. Primum, exilem & citò arefactum: ideoque puella nata non perannavit: secundum, prævalidum ac prolixum, & qui magnam felicitatem portenderet: tertium verò, instar arboris, quare patrem Sabinum ferunt haruspicio insuper confirmatum, renuntiasse matri, *nepotem ei Cæsarem genitum*: nec illam quidquam aliud, quam cachinnasse, mirantem quòd adhuc se *mentis compote, deliraret jam filius suus*. Mox cum Ædilem cum C. Cæsar succensens, propter curam verrendis viis non adhibitam, luto jussisset oppleri, congesto per milites in prætextæ sinum, non defuerunt qui interpretarentur, Quandoque proculcatam, desertamque Rempublicam civili aliquâ perturbatione

* in tutelam ejus, ac velut in gremium deventuram. Prudente eo quondam, canis extrarius è trivio manum humanam intulit, mensæque subjecit. Cœnante rursus, bos arator decusso jugo, triclinium irrupit, ac fugatis ministris, quasi repentè defessus, procidit ad ipsos accumbentis pedes, * cervicémque submitit. Arbor quoque cupressus in agro avito sine ulla vi tempestatis radicibus evulsa atque prostrata, insequenti die viridior

In tutelam ejus. Deæ Tutelæ mentionem fecimus in nummis ex ære mediocri, p. 144. Cur gratæ sibi recordationis memoriam non refricasset Vespasianus, eo quem subjecimus nummo, Titum atque Domitianum Tutelæ Deæ committens. Hanc & Deum & Deam, quemadmodum & Lunum & Lunam

dicebant antiqui: Legitur hæc inscriptio in Hispania, DEO TVTEL. GENIO LOCI, sive sit ille TVTELA, sive TVTELARIS, TVTELAM etiam Deam habebant seu TVTELLINAM à tuendo & tutando: Hinc Dii Tutelares qui urbium hominumque curam & patrocinium gerere credebantur.



Cervicémque submitit. Ad quod referri arbitror rarissimum hunc nummum, in ostenti memoriam restitutum. Victoriâ alata, Popæ instar, malleo victimam

percutiente, ipsum Imperatorem designari opinor. Sic enim frequenter apud priscos Victoria in bigis vel quadrigis pro Imperatore triumphante vehebatur.



ac firmior resurrexit. At in Achaja somniavit, initium sibi suisque felicitatis futurum, simul ac dens Neroni exemptus esset: evenitque, ut sequenti die progressus in atrium, medicus dentem ei ostenderet tantum quod exemptum. Apud Judæam Carmeli Dei oraculum consulentem, ita confirmavere fortes, ut quidquid cogitaret, volveretque animo quantumlibet magnum, id esse proventurum, pollicerentur. Et * unus ex nobilibus captivis Josephus, cum conjiceretur in vincula constantissime asseveravit fore, ut ab eodem brevi solveretur, verum jam Imperatore. Nuntiabantur & ex Urbe præfagia: Neronem diebus ultimis monitum per quietem, ut thesam Jovis Opt. Max. è sacrario in domum Vespasiani & in Circum deduceret. Ac non multò post, comitia secundi consulatus ineunte Galba, statuâ Divi Julii ad Orientem spontè conversâ: acieque Betriacensi, priusquam committeretur, duas equilas in conspectu omnium conflixisse: victâque alterâ, supervenisse tertiam à Solis ortu, ac victricem abegisse.

6. Nec tamen quidquam ante tentavit, promptissimis atq; etiam instantibus suis, quàm sollicitatus quorundam & ignotorum & absentium fortuito favore. Mœsiaci exercitus

Unus ex nobilibus captivis Josephus. Is est Hierosolymitanus sacerdos qui toties pugnavit contra Romanos, tandemque captivus Romam ductus est, ubi in honore maximo ob singularem doctrinam habitus, statuâq; in Urbe donatus est. Scripsit ille de *Antiquitatibus Judaicis*, *Bellôque Judaico* libros ævum duraturos, aliôsque, à quibus eum Jos. Scaliger,

in prolegom. de emend. tempor. diligentissimum *ἡξὶ φιλαλιθέστατον* omnium Scriptorum celebrat. De eo plura Eusebius, *Hist. Eccles. lib. 3. cap. 9.* Hieronymus, *de Scriptoribus Eccles.* Sozomenus, *Hist. Eccles. lib. 1. cap. 1.* Evagrius, *lib. 5. c. 24.* & Photius, *in bibliotheca.* Josephum ipsum dicunt juxta tropæum Judææ stantem in nummis, quos *cap. 8.* exponemus.

bina è tribus legionibus millia missa auxilio Othoni, post quàm iter ingressis nuntiatum est, victum cum, ac vim vitæ suæ attulisse: nihilò feciùs Aquileiam usq; perseveraverunt, quasi rumori minus crederent. Ibi per occasionem ac licentiam omni rapinarum genere grassati, cùm timerent ne sibi reversis reddenda ratio, ac subeunda pœna esset consilium inierunt eligendi creandique Imperatoris. *Neque enim deteriores esse, aut Hispaniensi exercitu qui Galbam, aut pratoriano qui Othonem, aut Germaniciano qui Vitellium fecissent.* Propositis itaque nominibus Legatorum consularium, quot ubique tunc erant, cùm cæteros alii alium aliã de causâ improbarent: & quidam è legione tertia, quæ sub exitu Neronis translata ex Syria in Moesiam fuerat, Vespasianum laudibus ferrent: assensere cuncti, noménque ejus vexillis omnibus sine mora inscripserunt. Et tunc quidem compressa res est, revocatis ad officium numeris parumper. Cæterùm divulgato factò, Tiberius Alexander præfectus Ægypti primus in verba Vespasiani legiones adegit Kalend. Julii: qui principatus dies in posterum observatus est. Judaicus deinde exercitus V. Idus Julii ad ipsum juravit. Plurimùm cœptis contulerunt jactatum exemplar epistolæ, veræ sive falsæ, defuncti Othonis ad Vespasianum, extremâ obtestatione ultionem mandantis, & ut Reipublicæ subveniret, optantis: simul rumor dissipatus, destinasse Vitellium victorem permutare hiberna legioum, & Germanicas transferre in Orientem, ad securiorem mollioremque militiam: Præterea ex præsidibus

provinciarum Licinius Mucianus, & è regibus Vologesus Parthus: ille depositâ similitate, quam in id tempus ex æmulatione non obscure gerebat, Syriacum promisit exercitum: hic * XL. millia sagittariorum.

7. Suscepto igitur civili bello, ac ducibus copiisque in Italiam præmissis: interim Alexandriam transiit, ut claustra Ægypti obtineret. Hic cum de firmitate Imperii capturus auspiciam ædem Serapidis, submotis omnibus, solus intrasset, ac propitiato multum Deo, tandem se convertisset, verbenas coronasque & panificia, ut illic assolet, Basilides libertus obtulisse ei visus est: quem neque admissum à quoquam, & jam pridem propter nervorum valetudinem vix ingredi, longèque abesse constabat. Ac statim advenere litteræ, fufas apud Cremonam Vitellii copias, ipsum in Urbe interemptum nuntiantes. Auctoritas & quasi majestas quædam, ut scilicet inopinato, & adhuc novo Principi deerat: hæc

XL. Millia sagittariorum. Non ineptè quidam Amicorum pecuniæ summam interpretabatur, quâ Vespasiano Parthorum Rex opem tulisset: Ea enim belli nervus perpetuò habita est. Numisma verò Persicum SAGITTARII notâ signatum est, inquit Plutarchus, in ἀποφθ. τὸ γὰρ Πέρσιον νόμισμα ΤΟΞΟΤΗΝ ἐπίσημον εἶχεν. Verum omnem hac de re

dubitationem tollit Tacitus, lib. 4. hist. his verbis: Legati Regis Vologesi XL. Parthorum equitum millia offerentes, quos & sagittarios & hippotoxotas nuncupabant. Neque tamen injucundum fore arbitror, duo hæc Persicæ monetæ exempla rarissima interim inspicere donec major eorum numerus, bono cum Deo, suo tempore sequatur.



hæc quoque accessit. E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure sedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis, demonstratam à Serapide per quietem, restitutum oculos, si inspisset: confirmaturum crus, si dignaretur calce contingere. Cùm vix fides esset rem ullo modo successuram, ideoque ne experiri quidem auderet, extremò hortantibus amicis, palàm pro concione utrumque tentavit, nec eventus defuit. Per idem tempus Tegeæ in Arcadia, instinctu vaticinantium, effossa sunt sacrato loco vasa operis antiqui, atque in iis assimilis Vespasiano imago.

8. Talis, tantaque cum fama in Urbem reversus, * acto de Judæis triumpho, Consulatus octo veteri

Acto de Judæis triumpho. Gloriam gentis Flaviæ, Populique Romani lætitiâ demonstrant innumera monumenta, ob devictam superstitiosam gentem, expugnatamque Hierosolymam. Mira sunt quæ ad hanc rem scripsit Josephus, in antiquit. Judaic. è quo præcipuè excerptimus, quæ ad interpretationem nummorum ex ære mediocri faciebant: Eadem & hos abundè explicant, non minùs typò quàm raritate & inscriptione insignes.




addidit. Suscepit & Censuram: ac per totum Imperii tempus nihil habuit antiquius, quàm propè afflictam nutantemque Rempublicam stabilire primò, deinde & ornare. Milites pars victoriæ fiduciâ, pars ignominix dolore, ad omnem licentiam audaciâque processerant. Sed & provinciæ, civitatésque liberæ, nec non & regna quædam tumultuosius inter se agebant. Quare Vitellianorum quidem & exauctoravit plurimos, & coërcuit. Participibus autem victoriæ adeò nihil extra ordinem indulsit, ut etiam legitima præmia non nisi serò persolverit. Ac ne quam occasionem corrigendi disciplinam prætermitteret, adolescentulum fragrantem unguento, cùm sibi pro impetrata præfectura gratias ageret, nutu aspernatus, voce etiam gravissimâ increpuit, *Maluissèm allium oboluisse*: litterasque revocavit. Classarios verò, qui ab Ostia & Puteolis Romam pedibus per vices commeant, petentes *constitui aliquid sibi Calcearii nomine*: quasi parum esset sine responso abegisse, iussit posthæc excalceatos cursitare: & ex eo ita cursitant. Achajam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum libertate adempta, item Thraciam, Ciliciam & Comagenem, ditionis regiæ usque ad id tempus, in provinciarum formam redegit. Cappadociæ propter assiduos Barbarorum incursum legiones addidit: consularémque rectorem imposuit, pro equite Roman. Deformis Urbs veteribus incendiis ac ruinis erat: vacuas areas occupare & ædificare, si possessores cessarent, cuiuscumq; permisit. Ipse restitutionem Capitoli aggressus, ruderibus

ruderibus purgandis manus primus admovit, ac suo collo quædam extulit: ærearumque tabularum tria millia, quæ simul conflagrauerant, restituenda suscepit: Undique investigatis exemplaribus, instrumentum Imperii pulcherrimum ac vetustissimum confecit: quo continebantur penè ab exordio Urbis senatusconsulta, plebiscita de societate & fœdere ac privilegio cuiuscumque concessit.

9. Fecit & nova opera, * templum Pacis Foro proximum: Divique Claudii in Cœlio monte, cœptum quidem ab Agrippina, sed à Nerone prope funditus

Templum Pacis. Egredia de eo narrat Josephus, lib. 7. cap. 24. Dio, lib. 66. aliique & Galenus noster, lib. 1. de pulsibus. Ex pluribus Plinii locis, hunc prætermittere nefas duco, lib. 36. c. 15. Et templum PACIS Vespasiani Imperatoris Augusti, pulcherrima operum qua unquam. Statuis picturisque celeberrimis ornatum fuisse, variis in locis docet: quas vel exiguus nummus patefacit. Statuarum pretio non celsere lapides illud decorantes, lib. 36. cap. 7. Basaltes ferrei coloris atque duritie, nunquam major repertus est quam in TEMPLO PACIS ab Imperatore Vespasiano dicatus: argumento Nili liberis

circa ludentibus per quos totidem cubiti summi incrementi augmentis se amnis intelliguntur. Conflagrauit tandem, Herodiano teste, Severo & Caracalla imperantibus. Inscriptam Vespasiani Pacem habes ex Boissardo ad arcum Septimianum.



destructum. Item * Amphitheatrum Urbe media, ut destinasse compererat Augustum. Amplissimos ordines, & exhaustos cæde variâ & contaminatos veteri negligentia purgavit: supplevitq; recensito senatu, & equite: submotis indignissimis, & honestissimo quoque Italicorum ac provincialium allecto. Atque uti notum esset, utrumque ordinem non tam libertate inter se, quam dignitate differre, de jurgio quodam Senatoris Equitisque Roman. ita pronuntiavit: *Non oportere maledici Senatoribus, re maledici civile fasque esse.*

10. Litium series ubique majorem in modum excreverant, manentibus antiquis, intercapedine jurisdictionis, accedentibus novis ex conditione tumultuque temporum. Sorte elegit, per quos rapta bello restituerentur: quique judicia centumvitalia, quibus peragendis vix suffectura litigatorum ætas videbatur, extra ordinem dijudicarent, redigerentque ad brevissimum numerum.

Amphitheatrum. Ejus ædificii formam tot carminibus celebratam exhibet hoc Numisma, quod quidem audio à quibusdam novitatis damnari: Mihi tamen, qui nummorum fidem non ex arbitrio possessorum æstimare soleo, ille omnino viderur antiquus. Amphitheatrum dedicatum fuisse à Tito scribit Autor noster, *in Tito, cap. 7.* Ex DIVI VESPASIANI inscriptione colligitur filium ejus Titum post dedicationem nummum percussisse.



11. Libido atq; luxuria, coërcente nullo invaluerat. Auctor Senatui fuit decernendi, ut quæ se alieno seruo junxisset, ancilla haberetur. Néve filiorum-familias foeneratoribus exigendi crediti jus umquam esset: hoc est, ne post patrum quidem mortem. Cæteris in rebus statim ab initio principatus usq; ad exitum, civilis & clemens.

12. Mediocritatem pristinam neque dissimulavit umquam, ac frequenter etiam præ se tulit. Quin & conantes quosdam originem Flavii generis ad conditores Reatinos, comitèmq; Herculis, cujus monumentum exstat viâ Salariâ, referre, irrisit ultrò. Adeoque nihil ornamentorum extrinsecùs cupidè appetivit, ut triumphi die fatigatus tarditate & tædio pompæ, non reticuerit: *meritò se plecti, qui triumphum, quasi aut debitum majoribus suis, aut speratum umquam sibi, tam ineptè senex concupisset.* Ac ne Tribuniciam quidem potestatem & *Patris patriæ* appellationem nisi serò recepit. Nam consuetudinem salutantes scrutandi, manente adhuc bello civili, omiserat.

13. Amicorum libertatem, causidicorum figuras, ac philosophorum contumaciam lenissimè tulit. Licinium Mucianum notæ impuditiæ, sed meritorum fiducia minus sui reverentem, numquam nisi clàm, & hæcenus retaxare sustinuit: ut apud communem aliquem amicum querens, adderet clausulæ, *Ego tamen vir sum.* Salvium Liberalem in defensione divitis rei, ausum dicere, *quid ad Cæsarem, si Hipparchus H. S. millies habet?* & ipse laudavit. Demetrium Cynicum in itinere obvium sibi

post dominationem, ac neque assurgere, neque salutare se dignantem, oblatrantem etiam nescio quid, fatis habuit *Canem* appellare.

14. Offensarum inimicitarumque minimè memor executòrve, Vitellii hostis sui filiam splendidissimè maritavit, dotavitque etiam & instruxit. Trepidum cum interdictâ aulâ sub Nerone, quærentemque quidnam ageret, aut quò abiret, quidam ex officio admissionis simul expellens, *abire Morboniam* jusserat. In hunc postea deprecantem, haud ultra verba excaudit, & quidem totidem ferè atque eadem. Nam ut suspitione aliquâ vel metu ad perniciem cujusdam compelleretur tantum abfuit, ut monentibus amicis cavendum esse Metium Pompeianum, quòd vulgò crederetur genefim habere Imperatoriam, insuper Consulè fecerit, spondens quandòque beneficii memorem futurum.

15. Non temerè quis punitus insons reperitur, nisi absente eo & ignaro, aut certè invito atque decepto. Helvidio Prisco, qui & reversum se ex Syria solus, privato nomine *Vespasianum* salutaverat, & in prætura omnibus edictis sine honore ac mentione ulla transmiserat, non ante succensuit, quam altercationibus insolentissimis pænè in ordinem redactus. Hunc quoque, quamvis relegatum primò, deinde & interfici jussum, magni æstimavit fervare quoquo modo, missis qui percussores revocarent: & servasset, nisi jam periisse falsò renuntiatum esset. Cæterum neque cæde cujusque umquam latatus, justis suppliciis illacrymavit etiam & ingemuit.

16. Sola est, in qua meritò culpetur, pecuniæ cupiditas. Non enim contentus omiſſa sub Galba vectigalia revocasse: nova & gravia addidisse: auxisse tributa provinciis, nonnullis & duplicasse: negotiationes quoque vel privato pudendas propalam exercuit, coemendo quædam tantum, ut pluris postea distraheret. Nec candidatis quidem honores, reſiſſe tam innoxiiis quàm nocentibus, absolutiones venditare cunctatus est. Creditur etiam procuratorum rapacissimum quemque ad ampliora officia ex industria solitus promovere, quò locupletiores mox condemnaret: quibus quidem vulgò *pro spongiis* dicebatur *uti*, quòd quasi & siccos madefaceret, & exprimeret humentes. Quidam naturâ cupidissimum tradunt, idque exprobratum ei à sene bubulco: qui negatâ sibi gratuitâ libertate, quam Imperium adeptum suppliciter orabat, proclamaverit, *Vulpem pilum mutare, non mores*. Sunt contrâ qui opinentur ad manubias & rapinas necessitate compulsam, summâ ærarii fiscique inopiâ: de qua testificatus sit initio statim principatus: professus *quadringsenties millies opus esse, ut Respublica stare posset*. Quod & verisimilius videtur, quando & malè partis optimè usus est.

17. In omne hominum genus liberalissimus, explevit censum senatorium: Consulares inopes quingenis sestertitiis annuis sustentavit: plurimas per totum orbem civitates, terræ motu aut incendio afflictas, restituit in melius.

18. Ingenia * & artes vel maximè fovit: primus è fisco Latinis Græcisque Rhetoribus annua centena constituit. Præstantes poëtas, nec non & artifices coëmit: item colossi refectorem insigni congiario magnâque mercede donavit: mechanico quoque grandes columnas exiguâ impensâ perducturum in Capitolium pollicenti, præmium pro commento non mediocre obtulit, operam remisit, præfatus *sineret se plebeculam pascere.*

19. Ludis per quos scena Marcelliani theatri restituta dedicabatur, vetera quoque acroamata revocaverat. Apollinari tragœdo quadringenta: Terpno Diodoróque citharœdis, ducena: nonnullis, centena: quibus minimùm, quadragena festertia super plurimas coronas aureas dedit. Sed & convivabatur assiduè: ac sæpiùs rectè ac dapfilè, ut macellarios adjuvaret. Sicut Saturnalibus dabat viris apophoreta, ita & Kalend. Martii foëminis: tamen ne sic quidem pristinæ cupiditatis infamiâ caruit. Alexandrini *Cybiosactem* eum vocare perseveraverunt, cognomine unius è regibus suis turpissimarum sordium. Sed & in funere Favor archimimus personam ejus ferens imitânsque, ut est mos, facta ac dicta vivi, interrogatis

Ingenia & artes. Magnificentiam Vespasiani eò magis extollit, quò pecuniæ ultra modum amans teraciórque vulgò habebatur. Egregiam hanc immortalitatis adipiscendæ rationem imitati videntur nostris temporibus nunquam mihi satis laudandi Principes, Augustissimus LEOPOLDVS, Christianissimusque Rex LVDOVICVS XIV. Illi

ut ingenia nôrunt nobiliora, artifices præclaros, cujuscunq; demum fortis ac conditionis, quos de meliore luto finxit Jupiter, suâ continuò fovent munificentiâ, sicque ad expoliendas magis magisque artes egregiè stimulant. Augustis illis capitibus profectò nunquam deerit quod sibi M. Alexander optabat, illustres atque factis suis pares scriptores.

palàm Procuratoribus *quanti funus & pompa constaret?* ut audiit *H-S. centies*, exclamavit, *Centum sibi sestertia darent, ac se vel in Tiberim projicerent.*

20. Staturâ fuit quadratâ, compactis firmisque membris, vultu veluti nitentis. Unde quidam urbanorum non infacetè: siquidem petenti, ut & in se aliquid diceret: *Dicam, inquit, cum ventrem exonerare desieris.* Valetudine prosperrimâ usus est: quamvis ad tuendam eam nihil ampliùs quàm fauces cæterâque membra sibi met ad numerum in sphæristerio defricaret, inediâmque unius diei per singulos menses interponeret.

21. Ordinem vitæ ferè hunc tenuit. In principatu maturiùs semper, ac de nocte vigilabat: deinde perlectis epistolis, officiorùmque omnium breviariis, amicos admittebat: ac dum salutabatur, & calceabat ipse sese & amiciebat. Postque decisa quæcumque obvenissent negotia, gestationi, & inde quieti vacabat: accubante aliquâ pallacarum, quas in defunctæ locum Cænidis plurimas constituerat: ac secretò in balneum tricliniùmque transibat. Nec ullo tempore facilior, aut indulgentior traditur: eaque momenta domestici ad aliquid petendum magnoperè captabant.

22. Et super cœnam autem, & semper aliàs communissimus, multa joco transigebat. Erat enim dicacitatis plurimæ: & sic scurrilis ac sordidæ, ut ne prætextatis quidem verbis abstineret. Et tamen nonnulla ejus facetissima exstant, in quibus & hoc: Mestrium Florum consularem, admonitus ab eo *plaustra* potiùs,

quàm *plostra* dicenda, die postero *Flaurum* salutavit. Expugnatus autem à quadam, quasi amorem sui deperiret, cum perducta pro concubitu festertia quadraginta donasset: admonente dispensatore quemadmodum summam rationibus vellet referri, *Vespasiano*, inquit, *adamato*.

23. Utebatur & versibus Græcis tempestivè fatis, & de quodam proceræ staturæ, improbiusque nato:

* Μακρὰ βιβὰς, ἀκραδᾶων δηλιχόσκιον ἔγχε.

Et maximè de Cerulo liberto, qui dives admodum ob subterfugiendum quandòque jus fisci, ingenuum se & Lachetem mutato nomine cœperat efferre, * Ω λάχης λάχης, ἐπὶν δικοθενίης, αὐθίης ἐξ ὑπαρχίης ἐρήση κήρυλ. Et maximè tamen dicacitatem in deformibus lucris affectabat: ut invidiam aliquâ cavillatione dilueret, transferrétque ad sales. Quendam è caris ministris dispensationem cuidam, quasi fratri, petentem cum distulisset, ipsum candidatum ad se vocavit: exactâque pecuniâ, quantam is cum suffragatore suo pepigerat, sine mora ordinavit. Interpellanti mox ministro: *Alium tibi*, ait, *quare fratrem: hic, quem tuum putas, meus est*. Mulionem in itinere quodam suspicatus ad calceandas mulas desilisse, ut adenti litigatori spatium morâque præberet: interrogavit, *Quanti calceasset?* pactusque est lucri partem. Reprehendenti filio Tito, quòd etiam urinæ vectigal commentus esset, pecuniam ex prima pensione admovit ad nares, sciscitans *num-*

Vastum incedens, vibrans immensam bastam.

O Laches Laches, quandòq, obieris rursus, ut ante, dicere Cerylus.

odore

odore offenderetur: & illo negante, *Atqui*, inquit, è lotio est. Nuntiantibus legatis, *decretam ei publicè non mediocris summa statuam colosseam*, iussit ut continuo ponerent, cavam manum ostentans, & *paratam basim* dicens. Ac ne in metu quidem, ac periculo mortis abstinuit jocis. Nam cum inter prodigia cætera mausoleum Cæsarum de repente patuisset, & stella in cælo crinita apparuisset, alterum ad * Juniam Calvinam è gente Augusti pertinere dicebat, alterum ad Parthorum Regem, qui capillatus esset. Primâ quoque morbi accessione, *Ut*, inquit, *puto, Deus fio.*

24. Consulatu suo nono tentatus in Campania motiunculis levibus, ac protinùs Urbe repetitâ, Cutylias ac Reatina rura, ubi æstivare quotannis solebat, petiit. Heic, cum super urgentem valetudinem creberrimo frigida aquæ usu & intestina vitiaffet, nec eò minùs muneribus Imperatoriis ex consuetudine fungeretur, ut etiam legationes audiret cubans, alvo repente usque ad defectionem solutâ, *Imperatorem*, ait, *stantem mori oportere.* Dùmque consurgit, ac nititur, inter manus sublevantium exstinctus est, VIII. Kalend. Julii, annum gerens ætatis sexagesimum ac nonum, superque mensem ac diem septimum.

Juniam Calvinam. Hæc soror fuit M. Junii Syllani & Caji, nurus Vitellii. Ab Agrippina Italiâ pulsa est, quam Nero post XI. annos, matre interemptâ, patriæ unâ cum illustribus viris fœminisque restituit, quò lenitatem ostenderet. De ea vide Tacit. *Annal. libr. 12.* *cap. 4. & 8.* Juliam lego interdum illam nominari in Juliae gentis gloriam: at à Junia erant Syllani quare vulgatam lectionem probandam cenfeo: De ea mentio facta est in JULIORVM PROSAPIA, quam huic Operi præfiximus.

25. Convenit inter omnes, tam certum eum de sua suorumque genitura semper fuisse: ut post assiduas in se conjurationes ausus sit affirmare Senatui, *aut filios sibi successuros, aut neminem.* Dicitur etiam vidisse quondam per quietem stateram in media parte vestibuli Palatinæ domus positam examine æquo: cum in altera lance Claudius & Nero starent: in altera ipse ac filii. Nec res fefellit, quando totidem annis, parique temporis spatio utrique imperaverunt.

Occupandæ ornandæq; huic paginæ sive ob raritatem, eximios velim centummos scalpi curavi in honorem Imp. seas. Et si pariter in gloriam Titi eosdem Vespasiani restitutos, quos sive obtypos restituerit Trajanus.

